

241

Handwritten text in Gothic script, partially obscured by a red and white striped border.



87

PHILOSOPHICÆ
FACULTATIS
In Academia Lipsiensi
DECANUS

Jac. Thomasiq.

ad auscultandam
die profesto Archangeli Michaelis
Orationem
de præliis Sanctorum Angelorum,
LECTORES BENEVOLOS
officiosè atqve peramanter
invitat.

ANNO M. DC. LXXVIII.

23





Unt equidem Angeli, non minus
quam corporeæ substantiæ, creati à DEO: sed
cum sensûs effugiant nostros, admodum obscu-
ra nobis illorum, quod ad lumen attinet naturæ,
est notitia. Quamobrem ubi de illis differendum
est Philosopho, magnam cautionem res postulat,
providendumque illud est præcipue, ne insipientem imitemur Gen-
tilium Sapientiam, qui Somniis suis hinc creduli de Spirituum illo-
rum ortu, fortunâ, officiis, vanissima pleraque, in his non pauca
inepta atque ridicula, protulerunt. A quibus decepti (ut de Patri-
bus hinc taceam,) Scholastici Doctores, ausi sunt defendere de An-
gelis nonnulla, quæ sacris è literis everti possunt, confirmari non
possunt: ut cum Orbium Cælestium motores Angelos esse per-
suadere conantur nobis ^a). Nos verò Christiani sumus. Vereamur
ergo de Angelis affirmare temerè quicquam præter ea, quæ
demonstrant nobis è codice sacro Theologi orthodoxi. Ab his
autem docemur, quicquid est immortalium, & à corpore suapte
naturâ liberorum Spirituum, conditum initio fuisse purum ab
omni labe peccati: Verùm ex iis per abusum arbitrii liberi multa
millia DEO fuisse rebellia facta; quin & horum unius, figuram
serpentis induti, blanditiis primum per hominum seductum à
Creatore defecisse, contagione criminis in omnem posteritatem
transeunte: Sic ergo scissa fuit Angelorum natio: & illi rebelles
ex angelis facti sunt diaboli; quippe qui homini non divinum
attulerint nuncium, sed mandatum DEI calumniosâ interpreta-
tione depravantes suæ factioni humanum quoque genus adjun-
gere laboraverint. Hoc rerum statu misertus nostri DEUS Re-
demptorem nobis Filium misit unigenitum; ex adverso repro-
bos

^a.) Vid. Leonh. Hutt. Loc. Comm. Theol. tit. de Creat. Q. 7. f. 206.

bos Spiritus flammis nunquam extingvendis addixit. Sed omit-
 tamus illas inimicas DEO pariter & nobis turmas. De bonis, ac
 integritatem suam custodientibus in eaque jam confirmatis spiri-
 tibus dicere pergamus. Varia sunt ipsorum officia, sed duorum ea
 maxime generum. Quorum uno versus solum funguntur Deum,
 hymnis eum celebrantes; altero versus DEUM & homines simul,
 ex divino scilicet jussu hominibus inservientes. Hymni Angelici
 satis expressam formulam Esaias enunciat his verbis *b*): *Sanctus,*
Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: plena est omnis terra gloria ejus.
 Porro genus hoc officii, quod hymnis DEO canendis absolvitur,
 tanti fecit Athanasius, sive potius quisquis est scriptor *Q*uestio-
 num ad Antiochum ut inferendum putaverit definitioni, quae fa-
 cit Angelum ζῶον λογικόν, ὑμνολογικόν, ἀθάνατον, h. e. *animal*
rationalis, hymnisonum, immortale c). Eadem definitio, sed uno
 vocabulo auctior legitur in ejusdem Pseud-Athanasii, (consen-
 taneum enim, ex eadem officina utrumque scriptum prodiisse,) *Q*uestio-
 num ad Antiochum lib. 1. c. 1. ζῶον логи-
 κόν ἀύλον, ὑμνολογικόν, ἀθάνατον. Verum τοῦ ἀύλου, *immaterialis,*
 intrusum esse dixeris ab alio quodam, volente mirigare senti-
 entiam scriptoris, angelos *animalibus e*.) annumerantis, ut sciamus
 nempe, non *corporeum animal* aut *materiale angelum esse, sed in-*
corporeum atque immateriale. Atqui hic illud teneamus, (liceat
 enim obiter definitionem illam e suis fontibus arcessere,) qui ex
 veteribus illis Christianis, Platonicum secuti stilum, angelos ani-
 malia esse profitebantur, (quam quidem loquendi rationem illis
 relinquimus,) eos simul corpora illis tribuere non fuisse veritos,
 (sanè verò *incorporeum animal, aut immateriale, σιδυρόξυλον est,*)
 sed subtilissima, quae adeo spirituum naturam non exuerent.
 Audiamus Bedam *f*): *De demonibus, inquit ille, quaeritur, utrum*
corpora habeant, an non? cum sint animalia, & omne animal corpus di-
)?(2 catur;

b. cap. 6. v. 3. c. quest. 30.

d.)citatur inde Petrus Halloix Orig. defens. lib. V. q. 5. f. 304. *e.*) Displicuit vox
animalis etiam Reuchlino, librum *Q*uestionum latine reddenti. Itaque pro ζῶον le-
 gendum putavit, ζῶον, vertitque *suppositum & idem.* vide annot. ejus ad h. l. *f.*) de
 Element. Philos. lib. 1. f. 314. cit. Elemenhorst. not. ad Gennad. c. 12. p. 129.

catur; an sint spiritus, ut ait Propbeta: qui facit angelos suos spiritus.
Unde dicunt quidam, quod corpora sunt, tamen ita subtilia, quae sensu per-
cipi non possunt. Unde respectu nostrorum corporum, quae spissa sunt &
grossa, spiritus dicuntur. Quemadmodum aer, quamvis corpus sit, ta-
men propter subtilitatem sui Spiritus vocatur. Quod confirmat beatus
Gregorius, qui in moralibus lib. 2. cap. 2. g.) de angelis loquens ait: Com-
paratione nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione
illius summi & incircumscripti b.) Spiritus i.) corpora sunt dicen-
da. Hoc iterum probant autoritate B. Augustini, qui in enchiridio quod-
dam ponit capitulum k.), qualia corpora angeli habeant. Nimirum,
Plato animalibus accensebat etiam daemones, qui angeli nobis
audiunt. Igitur Platonem qui sequebantur olim è Christianis,
hominem definebant non simpliciter, uti nos hodie, animal rati-
onale, sed addebant insuper, mortale, ut distingvi sic posset ab an-
gelis, quippe animalibus rationalibus, immortalibus. Jam ne quis
angelos bonos, (ad hos enim solos definitio isthac pertinet,) cum
malis confunderet, scriptor ille hymnisoni quoque vocabulum ad-
dendum putavit sibi, (quod adeo aptissime in ea definitione extre-
rum l) occupabit locum.) Neque enim hymnis Deum honorant
angeli mali, sed calumniis offendunt: Ex adverso bonorum An-
gelorum, seu supercaelestium virtutum (pergamus enim loqui cum
autore Quaestionum ad Antiochum m]) opus est hymnus indefinens,
& laus irrequiescens magnificentiae DEI. Jam cum hoc ipsum hy-
mnorum canendorum officium non hujus seculi terminis, ut alte-
rum illud, juxta quod hominibus inserviunt, claudatur, sed in o-
mnem futuri aevi aeternitatem se diffundat: vel hoc nomine me-
rerit id poterat honestum in definitione Angeli locum. Definiri
enim res quaeque iis notionibus postulat, quae à definito nunquam
di-

g.) imò cap. 3. si quidem sequimur editionem operum Parisinam anni 1533. f. 5. b.) sic
legendum ex editione dicta, non, incircumscripti, ut habetur apud Elmenhorstium,
vitio forsan typographi. i.) DEI videlicet. k.) capitulum hoc est 59. (Tom. II.
oper. Aug. f. 172.) l.) Equidem in ipsa definitione, qualem supra ex Autore descri-
psumus, hymnisonum praecedit, immortale sequitur. Sed rectius invertetur hic ordo
in hunc modum: Angelus est animal (hinc distingvitur à corpore inanimato,) rati-
onale (hinc à bruto,) immortale (hinc ab homine,) hymnisonum (hinc à diabolo)
lo. m.) Qu. proximè sequente 31.

divellantur. Desinent Angeli servire nobis, ubi in alterâ illâ nullo inopia sibi consciâ vitâ ad ipsorum cœlesti consortium eve-
cti fuerimus; DEUM hymnis laudare nunquam desinent. Atque hoc in negotio socios sibi nos habebunt, qui jam in hâc vitâ *hymnos & Cantica Spiritualia* inchoare jubemur *n*). Etiam quoad immortalitatem ipsis æquales tum erimus *o*). Admonet nos hęc immortalitatis cogitatio de novo definitionis hæctenus exposi-
tæ, neq; aliàs penitus inveniata. Quæ profectò totidem conce-
pta verbis, quot eam Angelis accommodavit ille Pseud-Athana-
sius, aptari potest homini post beatam corporis resurrectionem in
statu gloriæ considerato; ut adeò negari haud possit, esse definito
ampliolem. Nimirum hoc lucri fecerunt veteres isti, cum genti-
libus Philosophis obsecundarunt. Ignoraverunt Platonici, perin-
de ut cæteri τῶν ἕξω, resurrectionem corporum humanorum, atq;
adeò transitum illorum ad immortalitatem. Itaque peccare se
non putaverunt, si hominem definirent *animal rationale mortale*.
Christianorum hęc fuerat, circumspeditionem adhibere, atq; alie-
na hæc placita, priusquam sua facerent, ad normam divinæ reli-
gionis exigere. Inter Hominem & Angelum id maximè interest,
non quòd ille obnoxius est morti, hic à morte immunis, sed quòd
corpus ille, hic spiritus. Progredior ad alterum bonorum Ange-
lorum officium. De quo digna memoratu sunt verba scribentis
ad Hebræos Apostoli *p*): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus,*
(λατρευτικὰ πνεύματα) *in ministerium q*) *emissi propter eos, qui here-*
ditatem accipient salutis. Ad quem locum Philippus Melanchthon
ita commentatur *r*): *λατρευτικὰ* heist *ministerium, presertim publi-*
cum, ein gemeiner Dienst: daher hat mans gebraucht apud Græcos für
Stondienst/ pro operis publicis, als daß die Bauren haben müssen frö-
nen/das heissen λατρευτικὰ. -- λατρευτικὸν ἐστὶ ἐργάζω τὰ λήϊτα, curo &
administro bona publica. -- Ita Angeli sunt ordinati ad operas, zu Stön-
dienst. -- Hęc intuenti alicui veniat in mentem, an non, ut prius
illud

n.) Eph. 5. v. 19. Coloss. 3. v. 16. *o*.) juxta illud Christi Luc. 20. v. 36. *Neq; ultra mori*
poterunt (beat homines in seculo futuro,) æquales enim angelis [ἰσάγγελοι]
sunt. p.) Hebr. 1. v. ult. *q*.) εἰς διακονίαν. Confer Theodoretum locum infra lit. t.
citandum. *r*.) part. postrem. explic. in Evangel. Dominic. p. 187. Dominic. xvii.
post Trinit.

illud Angelorum officium ὑμολογικόν definitioni inservit apud scriptorem veterem, sic alterum hoc λατρυγικόν antiquæ appellationi germanicæ occasionem dederit, quæ solemus sanctos Angelos indigitare Frongeister s) ? ut videlicet idem hoc sit, atque illud Lutheri vertentis è græco λατρυγικὰ πνεύματα, dienstbare Geister. Dicerem huc Bartholomæū Scheræum t) inclinare, nisi is alibi u) nostrum Fron interpretaretur *sacrum*: quæ passim & aliorum x) sententia est, quorum nonnullis y) & Fron à græco ἱερόν deductum videtur. Potius ergò huc illud faciat, quòd, quemadmodum Erasmus Schmidius z) e Plutarcho docet, λήϊτον, unde vox τῆς λατρυγίας a), olim significasse δημόσιον vel *publicum*, ita reperias, qui defendant, germanorum Fron idem esse, quòd *publicum seu commune* b). Verum tamen istà ratione, si rigorosè velis interpretari vocabulum, Frongeister non tam erunt spiritus *administratorii*, quàm *publici*. Unde porrò suspicere vocem illam eum in finem excogitatam fuisse, ut ea distingveret angelum multis communem à genio, quem suum cuique peculiarem esse persuasum est multis. Vicissim igitur, ut putemus, Frongeister sonare spiritus *sacros*, id

mo-

s.) passi non obia hæc vox: e. g. im Görlitzer Gebethbüchl. A. 1675. p. 531. Du schenckest uns noch darzu deine lieben Frongeisterlein. r.) Is, ubi p. 14. Der Sprach Schul λατρυγικὰ πνεύματα ex Ebr. i. v. 14. produxisset, ac mox Theodoreti duo Angelorum officia exprimentis verba: ὑμῶσι καὶ διακονῶσι, reddidisset, sic singen und frönen oder dienen/ paulò post pergit: Wer wird unter dem Wort Engel begriffen? Fürnemlich die him nlichen Frongeister/ wie gesagt. u.) ibid. p. 91. fron/ das ist/ heilig. x.) Henisch. thesaur. ling. germ. f. 1259. Besold. thesaur. pract. f. 303. Dietherr. addit. ad Besold. p. 484. Speidel. notab. p. 338. y.) Henisch. d. l. Paul. Eber. expos. Evang. p. 805. Fron-Leichnam/ id est, ἱερόν corpus. z.) not. in N. T. f. 1296. ad locum Hebr. 1, 14. a.) de quâ consulatur & Casaub. Exerc. ad Baron. XVI. n. XL. p. 382. (quem describit Alsted. paratiel. theol. p. 248.) Jo. Bona Cardinalis p. 335. oper. b.) Besoldus, quoniam ipsi in Thesauro Practico f. 303. fron sacrum significat, ut mox in notis modo lit. x. aliter tamen decernit in discursu de trib. dom. soc. spec. c. 6. n. 5. (Parte IV. oper. Polit. p. 26.) his verbis: Frohn Dienste à veteri dictione Saxonicâ frohn/ welches nach Sachsen Recht wird heilig genant/ derivat Forsterus tract. de Jurisdic. Rom. part. 2. f. 467. & seq. Ego potius Frohn idem quòd publicum seu commune esse dico: Frohn: Fast/ gemeine Fast; Frohn: Bott/ publicus nuncius: Frohn Dienst/ gemeine Dienst: Frohleichnam/ corpus illud sacro sanctum, quòd pro omnibus datum: Frohnfest/ carcer publicus. Wehnerus etiam p. 105, pract. observ. Goldastum citans veteribus Alamannis Frohn idem ait fuisse, quòd commune, publicum, populare.

movere nos possit, quia in aliis quoque compositis, præcipuè ad rem Ecclesiasticam spectantibus, hæc ipsa interpretatio commodior videtur, ut scilicet Fronleichnam sit corpus *sacrum* c) potius, quàm *commune* seu *publicum* d). An ergò distingvemus hîc politica vocabula ab ecclesiasticis? ut in politicis, quæle Frondienst / significetur *publicum* quid, in ecclesiasticis verò *sacrum*? An rectius tempora discernenda? ut scilicet, vetustissimos dicamus illâ voce *publicum* quid aut *ministeriale* indicare voluisse, ævo autem minus antiquo *sacri* significationem prævalere cœpisse, cum germanicum Fron / perinde ut olim Græcorum *λατρευία* e) transferri cœpisset à profanis rebus ad sacros. Verùm, de his satis. Officium Angelorum *λατρευικόν* Epistola Hebræis inscripta tantum ad homines, eosque electos restringit. Facebat ergò Franciscus Georgius Venetus, homo Delrii f) quoque iudicio præceps nimis ac temerarius, qui Deum in hoc mundo inferiori per Angelos ministeria omnia operari statuit g), idque ipsius Apostoli verbis confirmare audet h). Possè hoc Deum, si velit, non negamus; velle nondum à Veneto illo demonstratum est. Porro cum aliis in negotiis comperitum est Angelos opitulari nobis, tum in bellicis. Sacræ pariter & profanæ historiæ scatent exemplis illustribus præliorum, quibus magnâ strage sunt ab Angelis hostes profligati. Atque de his Orationem cras, DEO adjuvante, horâ octavâ matutinâ, eruditè

c.) Respice ad lit. y. Atque sic interpretatur & Henischius. d.) quia scilicet pro omnibus datum. Regredere ad lit. b. proximam. e.) Casaub. Exercit. ad Baron. p. 383. *Usus Ecclesiæ vocem (τῆς λατρευίας) communem peculiariter aptavit ministerio & cultui, quæ publicè DEO exhibetur.* f.) Disq. magic. lib. II, q. 27. sect. 2. p. 288. g.) Problem. Tom. VI. n. 174. p. 173. *Horum (Angelorum ministrantium, quos ab assistentibus distingvit,) alii præsumunt quatuor noctis custodiis. - Alii quoque præferuntur quatuor anni custodiis, per quatuor stationes solis à cardine scilicet in cardinem distinctis. Alii verò præsumunt planetis. Alii quoque præsident duodecim signis. Alii verò Angeli tutela & custodia nostra addicti sunt. Alii præsident animantibus. Alii præsumunt plantis, alii lapidibus, quæ pretiosi dicuntur. Alii quoque præsumunt bello, alii pace. Alii Regibus & Prelatis præsident. Alii verò provinciis & regionibus sunt præfecti. Et adeo omnibus rebus & operationibus Angeli præferuntur, ut Deus in mundo hoc inferiori per Angelorum ministerium omnia operatur. Ideo Paulus horum sacramentorum non ignarus ait: Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi. h.) verbis postremis modo recitatis.*

ditè ab se conscriptam, recitabit eximiâ virtute ac doctrinâ pollens
Juvenis, *Johannes Tobias Zopfius*, Phil. Bacc. incomparabilem eor-
um, omnibusque mortalium victoriis superiorem præstantiam,
confirmaturus. Agite, *Academiae Rector Magnifice, Patres Am-
plissimi, Cives clarissimi doctissimiqve, & Collegii Majoris Audito-
rium* memorato tempore præsentia dignamini vestra. Agno-
scet non beneficium modo præstantissimus Orator, sed etiam be-
nevolentia in signe argumentum, ubi rem resciverit, *Patris ejus,
Vir. max. Reverendus atq; Excellentiss. Dn. Joh. Caspar Zopfius, Ec-
clesiæ Geranæ ac vicinarum Superintendens vigilantissimus, Consistorii
Ruthenici Assessor primarius, Gymnasiq; Inspector ac Professor Theologiæ
gravisissimus.* Nobis vero hanc operam decentibus officiis deme-
rendi nunquam defutura est industria. P. P. *Lipsiæ*, propriè
Festi Angelorum d. 27. Sept. A. 1678.

LITERIS MICHAELIS VOGTII.


DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387



sb.


Reho ✓ 1077



Fragment of text on the spine, including a prominent red initial 'P' and black Gothic script.



87



B.I.G.

Farbkarte #13

OPHICÆ
TATIS

a Lipsiensi

ANUS

Jac. Thomasiq.

andam

angeli Michaelis

onem

um Angelorum,

BENEVOLOS

peramanter

LXXVIII.

